

De affectu cataleptico rarissimo, dissertatio epistolaris. Ad ... Georgium Wolfgangum Wedelium ... / [Friedrich Hoffmann].

Contributors

Hoffmann, Friedrich, 1660-1742

Publication/Creation

Francofurti ad Moenum : Ex Officina Grossiana, 1692.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aj6t5mt5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

FRIDERICI HOFFMANNI, D. 2

Medici Electoral. Brandenb.

de

AFFECTU

CATALEPTICO

RARISSIMO,

Dissertatio Epistolaris,

ad

Excellentissimum Medicum,

DOMINUM

GEORGIUM WOLFFGANGUM

WEDELIUM, D.

Consiliarium, Archiatrum Saxonicum,

& Profesorem Jenensem tamigeratis-
simum.



FRANCOFVRTI AD MOENVM
EX OFFICINA GROSSIANA

Anno M DC XCII.



Cicero de Offic.

Nullus pudor est, ad meliora transire.

H. Grotius de Jure bell. & pac.
L. II. c. XI. §. 3.

Habet animus humanus non tantum naturalem potentiam, sed & jus mutandi consilium multo magis sententiam.

Plin. Ep. 20. L. 7.

Nulli patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari merentur.

*Excellentissime Domine, Fautor
honoratissime.*

NOta est Medusæ fabula: quæ narratur, fuisse illam mulierem formosissimum, ita, ut quæ ejus pulchritudinem attente contemplarentur extra se quasi raperentur, & ab omnium sensuum functionibus abstraherentur, fixique & immobiles ac quasi lapides redderentur; hinc finxerunt Poetæ, ex capitis ejus intuitu spectatores in lapides conversos fuisse. Decantata hæc fabula multum lucis fœnerat affectui cataleptico, illiusque causam aliquo modo declarare potest. Quandoquidem observationes testantur, à sola & nimia intentione animi, ac profundis & fixis mentis cogitationibus illum proficisci. Cumque prodigiosus hic affectus non ita pridem hic locorum personam sequioris sexus infestabat stipatus stupenda insolitorum Phœnomenorum catervâ, variæ inter naturæ consultos moveban-

vebantur disceptationes variaque enascebantur judicia;
 Utpote quidam extraordinarium hunc naturæ effectum
 ad morbum referebant, alii Divinum supernaturalem
 affectum credebant; cœteri in contrarium, prout fieri
 contingit, ruentes, pathemata hæc ceu diabolicas illusio-
 nes, phantasiæ perversæ fœtus vel malitiosas ostentatio-
 nes ac simulationes nimis sinistre culpabant ac damna-
 bant; Ratum itaq; ac consultum duxi accensus amore
 veritatis, quam unice omnium ratione præditi maximè
 Christiani appetere debent, non solum historiam seriem-
 que dicti affectus ac concurrentium symptomatum, ve-
 rum etiam omnium circumstantiarum momentum cu-
 ratius introspicere ac perpendere. Cumq; omnia à me
 benè imò clarissimè perspecta fuerint, non dubitavi,
 rem prout est apertius & candide exponere, ac medicâ
 lance rigorosius paulò examinare, spe subnixus certis-
 simâ, fore, ut discussis errorum tenebris illi qvi extra-
 ordinaria hæc pathemata nimis evehere voluerunt, opi-
 nionem conceptam deponant ac exuant, & vice versa
 illi qvi totum negotium Diabolo vel malitiæ acceptum
 referunt, mitius Christianorum more iudicium ferant.
 Cum autem omnia quæ veritatis consensum merentur
 ita debent esse comparata, ut perspicuitate fulgeant cla-
 rissima, deinde ut ex verissimis ac certissimis ac demon-
 strativis principiis rite sint elicita, & deniq; ut facilem
 consensum & comprobationis calculum apud illos in-
 veniant, qvi in hac scientia versatissimi sunt: hisce ego
 permotus, exactissimi tui, quo polles, VIR supra o-
 mnem laudem posite, iudicii censuræ ac tersiori limæ
 Tuæ hoc quicquid est monogrammi laboris subjicere
 volui

volui, eâ, qva, convenit proluxa mentis veneratione efflagitans, velis Vir Excellentissime, hæc omnia pro tua summa prudentia probè pensitare ac examinare, & utrum in iudicando veritatem assecutus fuerim, vel an in quibusdam â dextra ac regia veri via declinaverim, me humanissime edocere, qvo uti nihil gratius mihi accidere poterit, sic ut omni officiorum genere id demereri valeam, enixe allaborabo.

E re autem fore iudico, brevissimis ipsam affectus historiam prætexere ac recensere, non omissis notabilioribus circumstantiis, qvo eò felicius in iudicio ferendo progredi possimus. Historia hæc est:

Persona seqvioris sexus vix excedens annum vigesimum quartum, conditionis vilioris, rudioris minusque exculti ingenii, aliquando in templo tempore brumali attentius hauriens Sacrum Verbum de verâ contritione ac intimiore cordis inversione, de peccatorum abominanda ac detestanda coram DEO iustissimo indole summo mentis angore afficiebatur; inque dies & horas meditationibus istis anxiiis sacris macerata mœstissimo semper incedebat vultu, elapsis quatuordecim, ni fallor, diebus accidit, ipsam audita in templo concione, omni penitus sensu ac motu privari; dum instar imobilis statuæ oculis apertis & cœlo affixis post finitum cultum divinum in templo reperitur, omnem excitationem eludens; Post horæ ferme spatium sua sponte emisit aliquot suspiriis ad se rediit, sensumque ac motum recepit.

Examinata respondebat, se nihil sensisse vel audisse, bene se habere, & quasi altissimo somno sepul-

tam iucundissimas habuisse speculationes ac contemplationes sui SALVATORIS. Hunc accessum plus centum vicibus intra quadraginta dierum spatiū persona experta est, interdum mitiorem & breviorē, interdum longiorem & graviorem, semper tamen talem, ut omnis tentata excitatio per fortissimos volatiles spiritus oculis ac naribus admotos, per frictiones, punctiones, frustranea ac elusa fuerit. Ipso in paroxysmo pulsus naturali fuit similis, & respiratio salva ac integra, præter quod circa declinationem non nunquam fortissimas thoracis ac abdominis concussiones ac elevationes cum palpitante cordis motu habuerit, quæ tamen simul ac sensus ac motus rediit, statim exspirarunt, ægra de nullo dolore vel molestia amplius conquerente: vires etiam post paroxysmum ita scēpissimè constabant, ut consveta sua munia subire potuerit, totum corpus calore ac colore naturali erat, perfusum, excreta omnia bene se habebant, nec menses officii sui obliviscebantur; cum tamen per quatuordecim fermè dies omni ferè cibo ac potu abstinuerit: quotiescunque enim exorata aliquid accipiebat, summa præcordiorū anxietate cum metu suffocationis conjuncta ipsa infestabatur, somni erat parcissimi: Et quod maxime erat notatu dignum, paroxysmi hi fere semper invadebant post auditam Psalmodiam, post prolata verba ex Divino codice potissimum, quæ ardentissimum Christi amorem exprimebant. Huic affectui quæsitum fuit remedium, verum omnia in casum tentata fuerunt alias generosissima, nec sanguinis alterationes detractiones, topica, aliaque excitantia quicquam

quam profuere : donec ipsa affectus sensim atq; sensim
mitior factus tandem exspiraverit.

Hicce jam ad dignoscendum affectum necessariis
prælibatis citra magnam difficultatem ad ipsius natu-
ram & indolem explicandam & causas mirabilium phæ-
nomenorum reddendas descendere licebit.

Primo autem statim intuitu patet, optimo jure af-
fectum memoratum ad morbum referendum esse; Uti
enim sanum corpus illud dicimus, ubi omnium actio-
num tam naturalium quam vitalium & animalium est
integritas, intelligo: ubi motu sensu ac nutritione de-
bita machina vitalis est instructa: Sic vice versa mor-
bosum illud corpus audit, ubi læsio & quidem enormis
est machinae, ita ut organicæ ejus partes debito natu-
rali suo destitutæ sint officio ac munere. Sic nostro
in casu sensus ac motus vitalis omnes relinquit partes,
motus qui mentis imperio subiecti sunt penitus ces-
sant, sensus qui hominē distinguunt à bruto sunt insen-
siles, prævalidæ ac præternaturales adfunt pectoris &
abdominis concussiones, vigor actionum vitalium de-
structus, caput gravatum, appetitus extinctus est, &c.
Et quamvis hæc omnia saltim ad tempus fiant, certum
tamen est, morbosum & p. n. quid machinam pati.

Catalepseos titulum meretur hic affectus, utpote
omnia pathognomonica, essentialia, catalepsi propria,
nostro in casu inveniuntur symptomata ac signa. Con-
venit namque inter practicos qui catalepticorum con-
signarunt historias præcipua quibus catalepsis dignosci
possit, hæc esse signa, nimirum: quod omni sensu
ac motu destituantur partes in catalepsi, illæque in illo
fitu

situ ac positurâ, quam habent, quando affectus invadit, permaneant, imo instar marmorearum statuarum sint *vid. Henr: ab Her. obf. 3.* deinde quod nullæ sensationes ac perceptiones rerum externarum oculis licet apertis in mente fiant, & motus omnis mentis arbitrarii penitus cessent ac sepulti jaceant; ex adverso automatici quique citra animæ arbitrii perficiuntur salvi persistant, inque vigore suo permaneant; Quare catalepticorum pulsus & respiratio in statu naturali existit, partesque corporis flecti & moveri possunt, hinc impulsu procedunt: denique quod si pungantur vel secentur nihil sentiant & in resolutione accessus quædam suspiria emittant, & mira quæ audiverint & viderint narrent, *v: Hippocrates l. 3. prorrh. p. 66. & Sennertus in praxi p. 596.* Denique quod sub declinationem paroxysmi prævalidæ elevationes pectoris & abdominis contingere soleant; *vid: Dolans in Encyclopædia p. 6. Platerus in praxi & Sylvius in praxi.* Tandem quod hic affectus certis periodis & ad certas prolatas voces invadere soleat. *vid: Angust. d. civit: Dec l. 14. c. 24. Rondeletius de curand. morbis cap. 20. l. 1.* item quod per plures annos durare possit levior catalepseos species. *vid. Sylvius l. II. prax. p. 458.* Si ad hæc trutinemus ac examinemus nostrum casum, certissime ex concursu omnium signorum affectum catalepticum præsentem esse, concludendum erit.

Rarissimam autem hanc dixi catalepsin, sive respiciendo ad morbum ipsum, qui rarissime observatur & practitorum libris insertus sparsissime reperitur, sive ad originem morbi, paroxysmorum frequentiam, illorumque productionem & eventum morbi minus exitiosum.

Uti

Uti autem in omni morbo principaliter affecta est quædam pars corporis: sic nostro in casu maxime patitur cerebrum ejusque præcipua pars, ubi commune omnium perceptionum ac impressiõnum centrum, pariterque ubi cõcursus ac dispensatorium spirituum sic dictorum animalium est per nervos in omnes corporis partes; brevibus: est locus ubi secretius ac eminens animæ regimen ac imperium in corpus reconditur; ibi merito hujus affectus sedem reponimus. At vero determinare hunc locum aliquam difficultatem parit. *Cartesius* pinealem glandulam in medio cerebri sitam donavit hâc prærogativa ac eminentia: hanc autem sententiam solide explosam & ex medicina relegatam à *Clarissimo Domino Du Hamel in parte tertia Physices pag. 618.* & à *Cl. Nuckio in novissime editâ adenographia* videbis: Quamquam vix aliquid certi & inconcussi in hac re statuere possumus, maxime tamen apparet verosimile juxta *Dn. Malebranche in libro primo de inquirenda veritate p. 46.* mentem in illa cerebri parte, ex quâ omnes nervorum nostrorum fibræ principium suum ducunt, sitam esse ibique constitui, ut singulas corporis nostri partes foveat atque tueatur, ac proinde omnes quæ in illis fibris fiunt mutationes inibi percipiat. Quare nos cum accuratioribus Anatomicorum corpus cerebri callosum, seu centrum sic dictum ovale hâc dignitate gaudere, ibique mentis sedem figi asserimus; Siqvidem annotantibus *Dn. Nieusen in Nervographia l. I. c. X.* & *Domino Bidlo in Anatomia* corpus callosum medullares omnes fibrillæ ac tubuli artius complicati, qui spiritus animales vehunt, & ex

B

quibus

quibus nervi originem suam petunt efformant ac constituant. Hoc corpus callosum quoque totam ventriculorum cameram format, utriusque cerebri hemisphaeriis unitum est, & in hoc omnes medullares fibrillae definunt.

In hoc itaque ceu supremo tribunali omnes rerum externarum impressiones beneficio sensoriorum externorum conveniunt, & à mente percipiuntur ac judicantur, & rursus ex hoc ceu supremo loco regiminis pro arbitrio & nutu mentis spiritus animales ad omnes partes sensu ac motu animandas ac vigorandas determinantur, & per nervorum tubulos emittuntur.

Equidem mens ceu substantia immaterialis, indivisibilis & spiritualis non bene loco includi potest, & terminis certis circumscribi; Certissimum tamen est in machinâ humanâ immortalem hanc substantiam (quod omnem superat admirationem) arctissimum habere vinculum, commercium ac communicationem cum corpore beneficio spirituum animalium, qui nil nisi corpuscula sunt valde solida, admodum exilia, summæ volatilitatis ac subtilitatis (hinc fluidissima ac penetrantissima) quorum massa congregata fluidum quoddam in nervorum tubulis constituit. Ab ista unione ac communione dependet, quod corpore præternaturaliter affecto mens quoque laboret, & contra corpus quoque patiatur prout variis mens agitur motibus: hinc patet discrimen ingeniorum ac varietas morum, & quomodo humores & temperamentum corporis in ipsam mentem agere possit, & rursus

rursus, quomodo animæ passiones ac apprehensiones afficiant corpus inq; illud agant.

Mutuum autem istud vinculum ac commercium mutuaque officia, quæ menti intercedunt cum corpore, in duobus potissimum consistere videntur, nimirum: primò, quod anima pro suo arbitrio spiritus animales in hos vel illos nervos & per hos in certa membra determinare possit: sive juxta *Cartesium* ep. 25. p. I. quod cogitationes mentis certas sequantur certæ spirituum animalium in corpus determinaciones: Secundò quod anima omnes motus ab objectis externis in nervis impressos & beneficio spirituum animalium ad sensorium commune (quod nos in corpore cerebri calloso statuimus) translatos ibi percipiat, & quidem determinate afficiatur, sive juxta *Cartesium*, quod certas corporis motiones certæ in anima mediantibus iisdem spiritibus cogitationes subsequantur.

Istud mentis cum corpore vinculum sive illius in corpus imperium quoad antenus sublatum, & destructum est nostro in affectu, adeoque omnes motus arbitrarii in corpus non solum cessant, sed & nullæ rerum externarum sensationes in mente percipiuntur, & in hoc consistit ipsa essentia ac ratio formalis nostri affectus.

Deprehenduntur quidem in corpore nostro motus duplicis generis, vel voluntarii, vel involuntarii seu automatici, qui citra animæ imperium etiam nobis insciis perficiuntur: hinc quoque sapientissimus naturæ Parens duas officinas effinxit, cerebrum & cerebellum, inque illius meditullio sensorium commune

& omnium actionum quæ cum voluntate sunt sedem locavit; ab hoc autem involuntarios & automaticos machinæ motus derivare voluit; ast nostro in casu cum illa saltim corporis callosi pars quæ in cerebro motibus voluntariis & sensui communi ceu omnium perceptionum centro præesse ac imperare, satagit, afficiatur, hinc ratio fuit cur in recensitis historiis pulsus naturali similis respiratio integra ac illæsa sit, porro cur motus & situs membrorum ante invasionem paroxysmi imperatus ipso paroxysmo durante salvus ac illibatus maneat, cur oculi aperti, brachia extensa relinquantur, utpote qui motus involuntarii ex cerebello profluunt & spiritibus animalibus ibi elaboratis & per nervos hisce partibus infusis debentur.

Quomodo autem istud mentis in corpus imperium tollatur & cessatio omnium motuum arbitrarium & sensationum in cerebro extinctio fiat, inquisitione ac exploratione dignum est.

Quando sufficienti copiâ spirituum animalium, qui ex spirituofo subtilissimo sanguine per corticales cerebri glandulas in subjectos minutissimos medullares canaliculos cribrantur ac filtrantur, centrum ovale seu corpus callosum in quod omnes medullares tubuli desinunt, est instructum turgidum ac expansum, animadvertimus, mentem pro nutu suo istos spiritus certos in nervos & per hos certas in partes derivare ac determinare posse; item motus externos impressos per nervos ad cerebrum & sensorium commune transferri ac facile propagari posse: qui status si præ-

si præsens est, nos vigilare dicimur: è contra deficiente spiritu animalium in nervorum ac fibrillarum cerebri tubulis copiâ, non ritè tubuli isti inflantur ac expanduntur, sed in semet blandè concidunt ac relaxantur, ut neque recipi queant consuetæ impressiones objectorum insensoriis, neque proinde in cerebro percipi vel spirituum determinatio in parte fieri possit. Talis status nobis dicitur somnus, qui maximam analogiam & consymbolismum fovet cum nostro affectu.

Ex hisce clarissimè patebit, imperium illud mentis in corpus nostro in casu aboleri propter impeditum spirituum animalium in partem medullarem callosam influxum. Etenim spiritus animales sunt quasi ipsius animæ vicarii & ipsum medium, cujus beneficio mens agere potest in corpus, hoc itaque medio destituta anima otiosa est mentisque ac sensuum vires feriantur, inde constat, cur spiritibus animalibus à laboribus nimis à continuis meditationibus exhaustis somnus altus obrepere soleat, item cur nocte ingruente somnus ordinariò invadat; utpote tunc temporis ob deficientem Solem, qui æthereis suis particulis vitales nostri corporis flores imbuere ac jugi motu exagitare solet, fermentatio ac spirituaſcentia sanguinis & humorum notabiliter imminuitur.

Quænam autem causæ sint, quæ spirituum animalium influxum in corpus callosum hoc in affectu suspendant ac remorentur disquirendum venit. Practici hîc in diversas abeunt sententias. Nonnulli fixatos concentratos ac minus mobiles hoc in morbo esse spiritus asserunt. Verum non possum perspicere, quâ ratione spiritus cen

corpora tam subtilia ac penetrantissima ita figi ac concentrari possint, ut nullo modo animæ pro functionibus suis inservire queant, cum primis quoniam nullum constat medium cujus ope hæc fixatio saltem ad certum tempus & in cerebri certa parte institui possit, cum tamen cæteri spiritus motui involuntario inservientes satis activi ac mobiles sint.

Sylvius magnum praxeos lumen congelationem quandam dictorum spirituum accusat *v. praxis ejus lib. 2. p. 474.* persuasus experimento chymico, quo spiritus urinæ volatilis confusus cum spiritu vini rectificatissimo in coagulum spissius concrevit; Cum autem juxta ipsius sententiam spiritus animales eandem indolem ac naturam referant cum Spiritu Vini rectificato, quippe qui illos promptissime reparat, concludit, Spiritum volatilem urinosum in corpore præternaturaliter genitum & ad cerebrum penetrantem talem coagulationem producere posse. Verum enim vero experimenti hujus chymici explicatio falsa est & hinc perversa fit ejus applicatio. Siquidem Spiritus vini rectificatus non coagulatur, sed sal volatile, quod in spiritu urinæ (qui nihil aliud est, quam Sal volatile solutum in proprio suo phlegmate) continetur, affusione spiritus vini rectificati præcipitatur: quoniam hic promptissime imbibit particulas aqueas, & se associat phlegmati, quod in poris suis custodit salinas volatiles atomos, quæ non possunt non ex poris phlegmatis tunc dimitti & sub forma flocculorum ad fundum secedere.

Porro falsissimum est spiritus animales ejusdem naturæ

naturæ esse cum spiritu vini: qvi in quantitate assumptus ipsis torporem potius ac narcosin inducit; Dicendum magis foret, spiritum urinosum cum istis spiritibus insignem alere affinitatem ac consymbolismum, quippe quo ad restituendum ipsorum vigorem nihil præsentius ac excellentius est. Deinde sequeretur, juxta hypothesein Dn. Autoris salia volatilia oleosa, quæ tamen tam in hoc morbo quam in aliis soporosis affectibus miris prosequitur laudibus, majorem noxam afferre & magis intensa esse spiritibus quam proficua.

Quænam igitur vera causa denegati spirituum animalium in partem medullæ callosam influxus accuratorem meretur disquisitionem.

Duplici autem modo id effici, nobis asserendum videtur, & quidem vel obstructione fibrillarum medullarium, ex quibus ipsum corpus callosum constat, vel spasmodica quasi illarum constrictione ac contractione. Utroque modo impeditur ac suspenditur spirituum animalium influxus in fibras illas medullares, hinc anima ministerio spirituum destituta inepta fit obeundis functionibus. Adeoque hoc pacto facimus duplicem catalepseos speciem, unam gravissimam ubi rigidissima fiunt membra & pene semper ægri hæc correpti intereunt, alteram leviolem raro lethalem quæ hujus loci est.

Quod primam attinet, facile apparet nimium ac horrendum frigus ad productionem catalepseos maxime aptum existere, quatenus poros totius corporis vi quasi constringit, & non leve ob id periculum nervis, illorumque fluido exitium minatur: quare
ab

ab horrido gelu hyeme asperissima complures catalepticos factos fuisse, qui rigidi vel eqvo insidentes & habenas manibus tenentes inventi moxque mortui sunt, testes sunt observationes, vid: *Forestus l. 10. obs. 41.* & *Schenckius l. 1. obs. 1.*

Vel obstructio illa corporis callosi exsurgere potest ex stagnatione & extravasatione sanguinis vel feri in ipso cerebri meditullio, facile hinc liquet, cur in anatomia eorum, qui catalepsi perierunt majores capitis venæ crasso concretoque sanguine refertæ deprehensæ fuerunt, item cerebrum serosa materia occupatum, vid. *Holl. l. 1. de morb. inter.* & *Schenckius l. 1. obs. 2.* patet hinc quoque ratio, cur larga sanguinis per nares effusio quandoque à morbo cataleptico liberet, vid: *Actius Tetrabibl. 2. Serim. 2. cap. 4.*

Porro ex hisce quoque clarissime constat, quare consuetas & ordinarias sanguinis excretiones suppressas nonnunquam subsequatur catalepsis, vid. *Gabeloeverus in observ.* & *Fonsec. l. 2. consult. 92.*

Porro *Dodonaus obs. med. 44.* item *Cardanus in admir. curat.* Catalepsin ex febribus intermittentibus, *Platerus l. 1. fol. 27.* ex vino generoso, *Dolaus in Encyclopaedia pag. 96.* ex ebrietate & ira natam fuisse observationibus affirmant; credibile autem est, sanguinem nimium intestino ejus motu auctum in febribus vel à nimio vini potu majus affectasse spatium & venas in capite plus justo distensas aperuisse, sicque insignem sanguinis & lymphæ extravasationem procurasse, quæ obstructioni & obstipationi fibrillarum medullarium multum velificata fuit; Etenim notabile est, albam medullarem cerebri substantiam

tiam cinerea duriores porisque angustioribus donatam esse, hinc nihil sanguinis, quem arteriæ glandulosæ cerebri substantiæ affundunt, in albas medullæ fibrillas illabitur, ne impedimentum fiat influxus spirituum; patet hinc facile ratio, cur serum vel sanguis in cerebro vel cerebello extravasatus quam promptissime apoplexiam vel catalepsi inducere possit. Quod alteram spectat, quæ contractioni quasi spasmodicæ cerebri debetur, illa ad nostrum casum pertinet, & longe levior ac mitior est, hinc etiam à quibusdam medicis catalepsi distinguitur & ecstasis medica dicitur, quoniam qui hac specie corripiuntur, ut plurimum post finitum accessum raræ ac miræ quæ audiverint vel viderint, narrant. Et hæc species minus periculosa & lethalis est, sed certis intervallis ac periodicis redire solet, & ut plurimum debetur affectibus animi nimis, vel fixis conceptibus & meditationibus mentis.

Enimvero nullam ob aliam rationem tam ingens vis affectuum v.g. tristiæ diuturni mœroris cōsternationis in corpus nostrum est, quam quod hi affectus immediate agant in illud centrum, ubi spirituum est congregatio, illud p. n. modo afficiendo maxime autem contrahendo, sicque spirituum in corporis partes influxum ex parte impediendo. Et hæc est ratio cur gravissimi morbi imò ipsa mors subsequantur sæpissime istorum affectuum præposterum usum: Contractione enim centri istius ovalis spirituum non solum in nervos influxus, sed & circulatio sanguinis quoad antenus sistitur. Sic videmus, quod in tristiæ & mœrore sanguis parcius corde manet, ejusque orificia constricta quasi maneant; hinc pulsus tardior est & minor, genæ pallent, pauciores

C

gene-

generantur spiritus, pectus contrahitur respiratio est debilis, partes extremæ sanguine & spiritibus fraudatæ labascunt, vid. *Dn. VValdschmid in inst. p. 61.* Ex hisce facile colligi ratio potest, cur ex repudio inopinato matrimonii & ex ingenti ægritudine animi catalepsis orta fuerit, annotante id ipsum *Talpio l. i. c. 22. & Rondeletio l. i. c. 20.*

Præter affectus autem hos ad contractionem enormem ac inordinatam fibrarum corporis callosi, ubi spirituum nobilissimorum fit concursus, multum quoque facere potest nimia animi intentio, vel fixa ejus ac profunda cogitatio ac meditatio, hinc melancholicis malum hoc familiare est. Quemadmodum enim nobile spirituum centrum dilatatur cum solute absque attentione vivimus, ut in lætitia: Sic rem quando attentius rimamur, contrahitur, idque in nobis ipsis experiri videmur, quò enim attentiores sumus, eò minus objecta per sensus advertimus. Illius centri dilatationem *inquie Dn. Herfelt in Tract. Philos. hominis p. 183.* ac contractionem quam optimè declarare ac arguere videtur pupilla oculi, quæ contrahitur, ubi quid intente conamur, intueri, & dilatatur si solutè oculi vagantur. Hinc non mirum est ex nimia animi intentione catalepsin productam fuisse apud *Zacutum Lusitanum l. i. Hist. 42.* Ob eandem rationem ex nimis studiis hic affectus produci potest juxta observationem *Galeni Comm. 2. in prorrh. Hippoc. cap. 56.* qui ita scribit: quidam ex nostris condiscipulis cum assiduo disciplinarum studio se fatigaret, malo hoc correptus est; jacebat veluti lignum prorsus inflexus, rigidusque atque extensus, videbaturque oculis

oculis apertis nos ita intueri, ut ne conniveret quidem: nihil tamen loquebatur. Et tempore eodem, quæ loqueremur audire se dixit, quanquam non evidentè clareque. Similem observationem commemorat quoque *Fernelius l. 5. c. 2. Pathologia.* nimirum, quidam dum literis & chartis sedulo invigilavit, ita repentè obriguit, ut sedens calamumque digitis premens, oculis in libros defixis putaretur in eorum studia incumbere, donec vocatus ac impulsus deprehensus est omni sensu motuque carere.

Quod si itaque intenta mentis cogitatio gravem hunc morbum excitare valet, quidni etiam animus sacris intentus ac summe devotus ac meditabundus in ipso Dei amore simulque consternatus propter mala commissæ simile quid efficere possit, cuius, qui iudicio pollet dijudicandum relinquo. Etenim verbum Dei non inbellis & ex animis res est, sed ingenti gaudet vi percellendi animum ac instar gladii est effato *Pauli ad Heb. 4. v. 12.* utrinque incidentis ac pertingentis usque ad divisionem animæ simul ac spiritus compagumque & medullarum. Nec deficiunt hæc in re exempla: Compertum est, scribit *Sennertus in præx. pag. 598.* viros quosdam devotos meditationibus sacris quasi ex se raptos, ut etiam oculis ac auribus apertis non viderent, non audirent, imò nec sentirent; Sic quoque *Dn. Herfert. l. c. p. 198.* inquit, multi cogitationibus cœlestibus & divinis tam profunde fuerunt immerfi, ut mens quasi cum corpore brutali nullum commercium visum fuerit amplius habuisse. Extat quoque hanc in rem insignis locus apud summum Theologum *Dn. Geierum in præf. Tractat.*

Piebe Gottes und des Nächsten/ quem latine sic reddo: Homo, dum intentus est in Deum ejus animus delinitus Dei amore jucundissima quiete fruitur: ebrius quia si est hoc amore, ut habeatur à mundo pro fatuo, ut *Micchal* exultantem *Davidem* habuit: 1. *Sam.* 2. 12. quin imo mens lætitiæ summæ abundans quasi extra se rapitur nec sibi conscia est, & quasi similis tunc est homini presbytero de quo agit *Augustinus* l. 14. c. 24. de civitate Dei, qui ad imitationem cujusdam hominis lamentantis voces ita se auferbat à sensibus, & jacebat simillimus mortuo, ut non solum vellicantes atque pungentes minimè sentiret, sed etiam igne aliquando ureretur admoto sine ullo doloris sensu nisi postmodum & vulnere.

Trahendum quoque huc ipsum morbum Danielis existimo, qui juxta *Dn. Geierum in comm. ad Daniele* p 789. & *Gregorium* l. 4. *Mor.* c. 30. non nisi ex naturâ depromptam habet causam; Si quidem nobiliores spiritus ad profundas rerum cœlestium contemplationes convocati destituunt reliquum corpus, hinc juxta prædictum. *Dn. Geierum* l. c. Danieli adempta nervis vis omnis regendi membra fuit, imò sensus tam interni quàm externi adeo fuerunt inhibiti, ut nec rectè videre, nec audire nec ingenii vigore consuevit uti potuerit.

Spectat huc insigne monitum *piissimi Bona via comp. ad cœlum* c. 7. §. 3. dum ita inquit: In introversione hæc & praxi aspirationum, sicut & in reliquis exercitiis vulgatum illud attendere quis debet; ne quid nimis, ne videlicet ultra vires absumentur, ita ut caput gravetur ex nimia attentione vel intensione affectus.

Verosimile itaque videtur mentem plus justo infixam ac immersam alicui rei maximam facultatem habere

bere non solum spiritus animales imminuendi, verum etiam istorum circulationem penitus ad tempus quoddam sistendi propter validam cerebri constrictionem. Et inde facile liquet, quare fixæ mentis inhæSIONES in aliquam rem, lucubrationes præposteræ & studia intempestiva corpus tam valde debilitent, & spirituum generationem ac productionem imminuant.

Hiscæ jam prædictis & sufficienti demonstratione ut puto elucidatis si casum nostrum applicemus præsentem, nullum dubium occurrit, quin apertè confiteamur, affectum hunc rarissimum & stupendum ortum fuisse non nisi ex anxia mentis tristitia ac consternatione propter commissorum peccatorum multitudinem, vel etiam nimis intenta meditatione rerum divinarum, ita tamen, ut mediante causa naturali, quam in superioribus sufficienter exposuimus, omnia Phænomena ac Symptomata enata fuerint. Horum rationem ac productionis modum ut ex præfatis causis rite ac clarius explicemus ac deducamus, simulque, quæ ad hujus affectus generationem multum contribuerunt, remotiores causas probè consideremus sicq; explicatiorem nostrum præsentem affectum reddamus, instituti utilissimi fore judico.

Quod si itaq; percurramus nostram historiam, primò se offert sexus fœmineus; Fœminas semper magis affectu cataleptico tali seu ecstasi medicâ correptas viris fuisse, testantur observationes. v. *Borellus c. II. hist. 54. Marcus Marci in Philos. rest. p. 397.* Complures enim debilitate quadam cerebri laborant: quæ potissimum consistit in duobus, primo quod fœminæ præ maribus fibras

cerebri possideant longè teneriores ac molliores (ob
quam molliem *Lactantio* videtur dici mulier immutata
& detracta litera quasi mollier) hinc ad impressiones
fortiores recipiendas, ad passionem animi & morbos ex
phantasia fortiori ac perversâ enatos admodum sunt pro-
clives ; Deinde quod illarum spiritus ad quemvis mo-
tum admodum prompti ac faciles sint ; hinc fit, ut fa-
cile anomolos ac inordinatos motus conficiant, & ata-
xiam concipiant, quod maximè elucet ex affectu hyste-
rico & morbis aliis spasmodicis, quibus foeminae appri-
mè sunt expositæ.

Ingenii rudioris incultiq; fuit nostra persona) quan-
do pori cerebri non respondent ideis vel nulla adest in
ipsis dispositio facile illas recipiendi, obnituntur primò
ipsæ fibrillæ, deniq; quo fortior est impressio, eò majorẽ
patiuntur vim, sicq; spiritus in intensiorem ac inordina-
tum motum facile incitari possunt.

Tempore brumali) notissimum est in medicinâ,
nihil magis infensum esse nervis & ad morborum spas-
modicorum productionem facere, quam horridum fri-
gus ac rigidum cœlum : hinc verosimile est hyemale,
tempus etiam ad productionem hujus affectus symbo-
lum quoddam contulisse, ita ut cerebri fibrillæ frigore
ad concipiendam spasmodicam conductionem aptiores
redditæ fuerint, præprimis uti supra exposuimus, quo-
niam à solo horrendo frigore hic affectus produci
potest.

Audita in templo concione) Magnam in mentem
vim habent, autore *Talio* voces, quibus & excitamur &
incendimur & lenimur & langvescimus & ad hilarita-
tem

tem & ad tristitiam sæpe deducimur. Hinc scribit celeberrimus *Morhofius dissertat. de paradoxis sensuum*. Mirabile præ cæteris est, quod tamen vulgatissimum, posse ex auditu verborum ac orationis elaboratæ homines duci & quasi extra se rapi. Multo itaque magis ex auditu verbi Divini, cujus magna in affectus ac animam nostrā vis ac impetus est;

Instar immobilis statuæ oculis apertis) Arguunt Phænomena hæc non omnem spirituum animalium in corpus influxum cessare, sed hos qui ex cerebello profluunt spiritus liberè transire ad partes, hinc corporis situs non mutatur, quia imperium mentis ablatum est, & nulla est causa, inquit *Dn. Graan in praxi reform. p. 70.* cur spiritus ad alios musculos determinantur, quam ad illos, in quos movebantur, dum æger vigilaret, nisi à causa externa aliò impellerentur, & cum quis talem ægrum protrudit procedit à motu impresso ad paucos passus idque automaticè.

Sua sponte ad se rediit) cessante nimirum spasmodica illa contractione corporis callosi seu centri ovalis, quo factum fuit, ut restituto spirituum animalium influxu mens suas operationes, quæ potissimum in perceptione impresionum, & determinatione spirituum consistunt, exerere potuerit.

Suspiriis aliquot emisiss) Hæc fiunt, quando sanguis in pulmonibus aliquatenus restagnans magna expiratione propellitur.

Se nihil sensisse vel audivisse) quoniam ob denegatum spirituum animalium in corpus callosum influxum mentis cum corpore commercium ac communicatio
ad

ad aliquod tempus sistitur ac suspenditur. vide de hac re plura in superioribus,

Delectatam fuisse jucundissimis visionibus) hoc phenomenon ad singularem nos invitat meditationem: Omnes fere ecstatici & cataleptici finito paroxismo testibus observationibus, aut mira narrant gaudia aut phantasmata tragica & visiones Divinas, consortium angelorum, nonnulli etiam futura contingentia prædicere conantur. Cui causæ hæc adscribenda sint in diversas secedunt Philosophi sententias. Illis qui Diabolo vel Deo hæc statim attribuunt, non adstipulari possum. Facultatem futura contingentia prædicendi melancholicis pariter ac maniacis inesse scribit *Huartus in Scrutin. ingeniorum c. 3.* Quo spectat etiam insignis locus apud *Platonem in Timæum p. 543.* Ubi divinandi vim, ait, quod Deus dementiæ humanæ dederit illud argumento esse potest, quod nemo dum sanæ mentis est, Divinum & verum vaticinium ullum assequitur, sed cum vel somno vis prudentiæ præpedita est, vel divino aliquo raptu è suo statu dimota, fieri divinatio solet. Hisce autem contradicit *El. Henr. Henckelius in ordine & method. cognoscendi & curandi Energumenos p. 137.* Alii animam vim propriam habere divinandi asserunt. Sic illustris *Verulamius in Tr. augm. scient. p. 118. scribit*: Anima in se reducta atq; collecta nec in corporis organa diffusa habet ex vi propriæ essentiae suæ aliquam prænotionem rerum futurarum, illa vero, inquit, optime cernitur in somnis, ecstasibus confiniis mortis, rarius inter vigilandum aut cum corpus sanum est vel vegetum. Hujusmodi vero status animi procuratur facile aut adjuvatur ex abstinentiis atq; illis rebus

rebus, quæ animum à muneribus corporis exercendis maxime sevocant, ut suæ naturæ absq; impeditionibus exteriorum gaudere possit. Quadrant huc quoq; verba *Ciceronis* quæ exstant *L. I. de Divin.* dum somno inquit sevocatus animus à societate & contagione corporis est, meminit præteritorum, præsentia cernit, futura prævidet; jacet enim corpus dormientis ut mortui, viget autem & vivit animus. Nonnulli, ut *Borellus c. II. obs. 54.* judicant: animam in ecstasi quodammodo à corporeis impedimentis separatam aliquid scientiæ quam post mortem habitura est, acquirere: dum mentionem injicit mulieris ecstatiæ, quæ peregrinis lingvis loquuta fuerit. Nos in hac arduâ re judicium nostrum suspendimus.

Quod visiones autem attinet, optime illarum ratio explicari ac deduci potest ex ipsâ naturâ insomniorum. Quandoquidem uti in somno, quando centrum ovale spiritibus animalibus destitutum est, sicque mentis imperium in corpus quodammodo cessat, anima non est otiosa, sed paucorum spirituum restitutum beneficio vestigia olim per sensus perceptarum rerum relegit, sicq; confusas atq; similes in mente excitat cogitationes, quæ dicuntur insomnia, quæ ut plurimum cogitationibus pristinis vigilantium debentur; hinc *Tullius in l. 6. de Repl.* scribit: *Fic verè, ut cogitationes sermonesque nostri pariunt aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpius vigilans solebat cogitare & loqui:*

Eodem modo in nostro affectu, qui maximam habet affinitatem ac insignem consymbolissimum cum ipso somno, ex ipsis fixioribus ac profundis cogitationibus cerebro impressis mens varias colligit sibi imagines, quæ

ita ipsam afficere possunt, ut affectu hoc correptus firmiter sibi persvadeat, se aliquid videre, non aliter ac in somno contingere solet. Uti autem porro in somno confusis istis comœdiis quas anima sibi relicta & à directorio rationis otiosa cum illis imaginibus instituit, Divinam influentiam accedere posse, quæ ad magis ferriam faciem illas componere possit, ad rerum proximè contingentium præscitum vel ad alias fructuosas admonitiones inservientes nunquam à Theologis vel Philosophis negatum est: sic in nostro affectu idem contingere posse nullum dubium existit. Maximè enim mens juxta *Dn. Vossum in Theol. gentil. p. 900.* in somno multo magis itaq; in nostro affectu, idonea est ad recipienda cœlestia, quia tunc vacua & immunis à quibusvis terrenis est, quinimo mens ipso momento, quo à corpore sensationes debiles recipit, eò magis uniri Deo potest. Et proinde fateor unionem nostram cum Deo eò magis imminui ac debilitari, quò magis unio nostra cum sensibilibus augetur & corroboratur, sed tamen unio illa penitus destrui nequit, quin toti prius destruamur; Notabilis est historia, quam refert *Dn. D. Hannemann in Ephem. curios. D. II. obs. 76.* Puella filia cujusdam lanionis Buxtehudæ vehementi morbo decumbens incidit in ejusmodi symptoma, ut jacuerit per integrum triduum mortuæ simillima, ut nihil quoque vitale inesse videretur, præter quod calere adhuc videretur. Exacto triduo excitata & ad se reversa succensuit, quod non in eodem statu reliquissent, ineffabilia esse gaudia, quæ interea temporis processissent.

Verum circa has visiones ac revelationes in ecstasi medicâ insomniæque probè tenendum esse exi timo, ut illa

illa maximè discernantur secundum causas, ex quibus
proveniunt, deinde ne illis major dignitas prærogativa
concedatur, quàm merentur, adeoque cautissimi & maxi-
mè circumspecti debemus esse in illis interpretâdis & ap-
plicandis: & quamvis non negandum sit, Deum ex me-
râ gratiâ extraordinario quodam modo singulariter in
piorum somnis influere posse, ad anxios illos & attritos
vel erigendos vel præmonendos, non tamen, cum parti-
cularem usum habeant ac finē, insomnia talia ultro ex-
tendēda sunt, nec comparanda cum verbo Divino clarò
nobis revelato, utpote quæ huic lōgè inferiora sunt mul-
tis obscuritatibus involuta & phantasiæ permixtæ invo-
lucris vestita, & quæ secundum stateram ac lydium lapi-
dem verbi Divini potius ponderanda ac æstimanda sunt.

Interdum mitiorem interdum graviolem paro-
xyfimum persona experta est) Prout nimirum spasmodi-
ca cerebri constrictio intensior fuit.

Omnia tentata excitatio per fortissimos volatiles spi-
ritus elusa fuit) Quoniam omnes factæ externæ impres-
siones neque transferri ad sensorium commune neque transla-
tæ ibi percipi potuerunt, propter centrum illud cerebri
ubi omnes impressiones concurrere debent, destitutum
spiritibus animalibus ceu animæ vicariis sensuum omni-
um motuumque machinæ parentibus.

In paroxysmo pulsus naturali fuit similis & respiratio
integra.) Ob vias cerebelli patentiores per quas liberè
transierunt spiritus ad musculos cordis & pectoris, vid.
superiora.

Fortissimas thoracis ac abdominis concussiones ac e-
levationes experta fuit) quod phænomenon palam facit
spasmodicos ac inordinatos spirituum animalium nostro

in casu motus : fiunt autem quoniam ob influxum spirituum in fibrillas constrictas vel abstructas cerebri medullares denegatum illi maximo impetu ac elasticitate ruunt ac prorumpunt in patentes cerebelli fibrillas, ibique exorbitantes motus pariunt, ac pectus attollunt & abdominis musculos inflant.

Ægra de nullo dolore conquiritur) quoniam nullæ irregulares rigida acutæ particulae quæ membranas ac fibrillas nerveas nimium vellicare ac lancinare solent, in humoribus vel sanguine hujus personæ continentur.

Cibo & potu abstinuit penè per quatuordecim dies)

Similes historias ubi ecstasicae per plures menses nullo cibo vel potu usæ fuerit vid. in *M. Marci phiⁱ. restit p. 397.*

Ad efficiendum appetitum & promovendam resolutionem ciborum in ventriculo potissimum desideratur & requiritur fermentum seu menstruū salivale ex glandulosa ventriculi substantia propullulans satis activū ac turgidum spiritibus animalibus, qui magna in copia per nervos paris vagi inibi affunduntur; quapropter dissipatis & imminutis spiritibus in corpore vel per morbum, vel per nimias sanguinis & humorum excretiones, vel per narcotica, quæ illorum motum sufflaminare solent, vel per nimios & inimicos affectus, lucubrationes, &c. destruitur quoque & exstinguitur appetitus & ipsa digestio ventriculi, quæ maximā partē debetur influxui spirituum, seu corporum maximè activorum ac mobilissimorum compagē ciborum referantiū. Et hinc patet ratio, cur nimirū in nostro casu, spiritibus animalibus admodum imbecilibus existentibus propter spasmodicos istos motus ac nimiam & seriā animi intentionē appetitus penitus vacillet ac emortuus sit. Accedit, quod quò diutius abstinemus à cibo, eò magis perire appetitum propter spirituum

tuum defectum videmus ; Elegans hinc est historia, quæ
Dn. Diemer brockius in sua anut. p. 38. testatur de se ipso ,
 postquam cum fociis jejunasset ad sesquidiem se non
 amplius famem sensisse ad tertium usque diem, sed saltem
 corporis debilitationem.

Somni erat parcissimi) Notum est ad somnum requiri
 cerebrum temperatum, placidissimum spirituum mo-
 tum & serum dulcè roscidum, cum autem omnia hæc in
 nostrâ personâ deficient, non mirum ipsam destitui pla-
 cido ac sufficiente somno.

Paroxysmi semper invadebant post auditam psalmo-
 diâ, post prolata verba ex divino codice maximè, quæ
 ardentissimum Christi amorem exprimebant) Sonorū
 ac verborum magnam esse in nostrū corpus efficaciam
 spirituum animalium motū varie determinandi loquun-
 tur medicorum observationes. De iis qui à tarantulâ pun-
 guntur, quod musicâ curentur, res notissima est. Campa-
 næ sonitu vel voce canorâ loquentis aut canentis animi
 deliquium passam puellam nobilem, testatur *Heer: ab Heer*
obs. Spadan. ultima. Tonitru audito laxabatur alv9 ac cre-
 bro vomebat foemina nobilis v. *acta Anglicana p. 550.* Et
 quemadmodū in nostro casu ex auditu verbi Divini per-
 cellentis valde mentē ortus est affectus & spasmodicus
 spirituum in parte quadā cerebri motus: sic non mirū
 videtur, repetito verbo Divino Spiritus ad eosdem ex-
 traordinarios jam consuetos motus subeundos specificè
 determinari. Nec deficiunt similes observationes. Sic te-
 stante *VViero de prestiq. Doctmonum l. V. c. XXXV.* puella nupta
 cuidam viro, quem parum amabat, ex ægritudine animi
 catalepsi correpta fuit. Quam ob causam in parentum
 ædes rediit, in quibus tamdiu à malo illæsa permanebat,
 quàm mariti oblivio duraret: recrudescebat vero, quum

de marito cogitaret, vel illius mentionem audiret: aut etiam quādo ad illam insciā maritus forte veniret, prius- quā eam vel videret vel audiret. Referēdus hīc est quoq̃, locus Augustini supra citatus de quodam presbytero, qui ad prolatas voces lamentantis catalepticus factus fuit.

Nullum auxilium à medicamentis experta est) Nullæ hīc sangvinis detractiones, purgationes stomachica vel cephalica vulgaria aliquid opis adferre potuerunt.

Ex hisce jam sufficienter deductis ac causis & symptomatibus mirandi affectus nostri enucleatis ac explicatis luce meridiana clarius elucere arbitror, non alium esse hunc affectum nisi catalepticum ex validiori cerebri cō- strictione enatum, cui ansam ac occasionem præbuerunt animi quædam pathemata pia tamen & quæ singulari Divinæ gratiæ influxu non carere videntur. In errore itaq̃ fuerunt illi, qui hæc omnia pro supernaturalibus ac Divinis mentis absorbtionibus, ecstasib9 habuerunt ac venditarunt. Equidem non inficiandum est, hunc affectum magnam habere convenientiam atq̃ affinitatem cum ecstasi supernaturali divinâ, in quâ sanctis viris olim Divinum Numen verba sua impressit ac revelavit, si consideremus, nunquam fere hanc factam fuisse sine magnâ virium prostratione, motus ac sensuum abalienatione & quâdam morbosâ corporis dispositione, sed fere semper cum cessatione imperii, quod anima habet in corpus; at- tamen multum inter se differunt ratione causarum, ut- pote in Divina sanctorum ecstasi ipsa Divina majestatica præsentia fulgentissimis sui splendor radiis (quas minuta humanarum Mentium lux ferre non potuit,) totam animâ occupavit & penetravit, ut hinc corporis functionibus non rite amplius præesse potuerit. Quare summo

terrore ac pavore concussi exanimis quasi acuerunt sancti illi ecstatici; In nostro autem affectu praesentes sunt, causae naturales quae in corpus ordinario modo influere ac agere aptae sunt, immo animi pathemata vel nimiae animi intentiones in sacra, quo respectu licet remotè Divinae gratiae influxus etià hoc loco non excludendus est. Videlicet in ecstasii theologicâ ipse Deus immediatè praesens est, secus in medicâ. Illam optime explicat *Chrysostomus Homil. 22. in act.* quod sit *πνευματικὴ θεωρία* seu spiritualis contemplatio Dei. Adeoq; hæc non confundenda sunt.

Exempla ejusmodi supernaturalis Divinae ecstaseos vide in sacro codice. v. gr. *Ex. c. 8. v. 3. Act. X. 10. 2. Cor. 12. v. 2. 3. 4. &c.* Cum autem supernaturales constituto jam ecclesiae canone juxta plurimorum Theologorum placitum dudum defecerint, hinc si forte pio ac devoto analogi quid contigerit, bene illud librandum & prudenter tractandum est, quod periculi potest esse plenissimum, neq; statim summi boni fruitio vel perfectio Christiana in eo reponenda est.

Verum cum hic affectus morbus sit, restat jam ut meditemur, quæ ratione extinctis ejus causis, tam in, quam extra accessionem succurramus ex hoc laborantibus illumque expugnemus feliciter. Præ cæteris itaque allaborandum hîc est, ut spasmodicæ irregulares cerebri fibrillarum conductiones deliniantur ac mulceantur, deinde fixæ istæ ideæ ac profundus conceptus, quibus mens immersa est, deleantur; sicq; utroq; modo restauratio spiritualescentiæ sanguinis & humorum promoveatur.

Priori scopo inserviunt quam laudatissime antispasmodica omnia sic dicta, quæ à *Dn. Doles l. c. p. 99.* hoc in affectu mirum celebrantur. Omnibus autem hisce palmam dubiam reddunt & præ cæteris laudem sibi vindicant Salia volatilia animalium, illaq; oleis destillatis blandis vario modo essentificata ac oleosa reddita, nec non maritata cum ipsis succinatis,

Am-

Ambratis, Castorinis, Camphoratis. Spectat huc essentia cephalica nostræ præparationis commendatissima, quæ conflatur ex Essentiis ligni aloes succini, ambræ (quæ instar aliarum resinifarum essentiarum lacteo vehicula aquæa imbuunt colore) cum Spiritu salis ammoniaci castorino anatica proportione mistis, addito momento camphoræ. In ipso paroxysmo præter jam dicta, clysteres acriores, sternutatoria, unguenta spirituosanuchæ & vertici applicata naribusque admota, commendatissima sint.

Porro alteri intentioni satisfaciunt illa quæ ad extinctionem fixarum cogitationum faciunt, Sic depulsis omnibus anxiis excessive tristibus cõceptibus ac ideis, quæ instar carnificinæ ac crudelis tormenti corporis sunt, animus in Deo hilaris sit, corpori benefiat, conversationibus suavibus ac jucundis persona intersit, nec illis rebus quæ in sensu blande ac jucunde incurrunt prorsus abstrahat, sed illis cum ratione, electione, & in timore Dei utatur. Vino generoso, quod optimum cordiale, stomachicum ac confortans est, modice aut crebrius animû ac corporis vitales succos reficiat ac restauret; nec quieti ac otio, (quod profundarum cogitationum etiã delirarû idearum fecunda mater existere solet,) plus justo indulgeat. Sed vide Excellentissime Vir, ad quantã prolixitatẽ delabar: Verum ne Tempora & doctissimas Musas Tuas diutius morer, incõptam crenam retineo, supplexq; oro, velis hæc omnia accuratissima judicii Tui lance probe æstimare ac ponderare, & utrũ catalepsis ad morbos spasmoticos, quod nulli, ut meminî, antea fuit sententia, bene referri, & an hic affectus noster quoq; eundem censum subire possit tecum probè perpendere Tuumque exoptatissimũ de hisce judicium ac sententiã aut privatim aut publice mihi declarare ac exponere, quod erit mihi longe gratissimum. Quibus vale & rem Tuam in incrementũ ac bonum reipublicæ nostræ Apollinaris felicissime agere perge!